



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**


Caput 18. Circa Odium, Inuidiam Schisma, Vitia Charitati contraria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Seet. II. De Charitate, Dubia. 163

maiores securitatem huiusmodi infamatio licita esse non potest. Nemini enim licet, bona temporalia à proximo auferre eo fine, ut securior sit in virtute: alias liceret, diuitias ab eo auferre, & pauperibus impertire, ut pro illo exorent. Ita Adrianus *qu. de correct. 5. Pro huius decisione. Sotus relect. de secreto, membr. 2. qu. 4. conclusio. 4. Sa verb. Correctio, numer. 4. Nauarr. summ. cap. 2. 4. num. 17. Aragon. 2. 2. quæst. 33. art. 7. Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 10. punct. 5. Nauarr. lib. 2. de res. sit. cap. 4. part. 2. dub. 12. num. 120. D. Thom. Antonin. Sylvest. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez libro 6. Decalogi capite 18. numero 49*

348
Ego autem probabilis his hærens Doctores, existimo, si certo tibi constat, fratrem esse emendatum, nec periculum probabile relabendi habere, nullatenus posse eius delictum superiori manifestare, nisi ipse expresse consentiret: neque consensum in Societate nostra præstitum ad hunc casum extendi. Nam finis præcipuus in Societate, ob quem mandantur delicta superioribus deferri, est correctio delinquentis, quod constat ex reg. 10. Boni etiam omnes consulant, ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem inuare debito cum amore, ad maiorem spiritus profectum. Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus, neque periculum sit recidui, cessat finis, ob quem consentit, delicta superioribus deferri per quemvis, qui extra Confessionem, ea accepit. reg. 9. Attamen si proximus periculum probabile subeat relabendi, si prælapsum eius peccatum Prælato non manifestetur, manifestandum esse, non dubito, cum Valentia *disputation. 3. quæstion. 10. punct. 5. D. Thomam, Adrianum, & Sotum citante: ut subditum præseruet. Probabile periculum relapsus vocito, quando ita proximus occasionibus peccati est innodatus, ut moraliter loquendo, iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur. Nam de alio periculo magis remoto non est curandum, cum omnibus tale insit periculum ex nature fragilitate.*



CAPVT XVIII.

Circa Odium, Inuidiam, Chisma, Vitia Charitati contraria.

DVBIVM LVIII.

An in odio proximi sint plures actus specie distincti?

49
RECOLO, Odium esse charitati contrarium, dupliciterque contingere. Primo, abominando personam proximi tanquam tibi contrariam, & desiderando, ut non sit: & hic actus est Odium abominationis. Se-

cundò, desiderando illi aliquod malum ex præfata abominatione, quod Odium inimicitie vocatur. Quodcumque ex his odiis circa Deum lethale est, nec fieri potest veniale ex materia leuitate. Circa proximum vero aliquando potest esse veniale, verbi gratia, si quis proximum absque iusta ratione leuiter auerteretur, malumque ei leue exoptet, vel plena non adsit deliberatio. Odium proximi ab odio Dei differre specie non dubito. Quia licet utrumque Charitati opponatur: diuersimode tamen opponitur. Vnum namque Dei Maiestatem directe, alterum indirecte offendit. Maior est difficultas de odio proximi, num in eo sint plures actus specie distincti?

Non sunt. Quia odium non sumit speciem, neque indiuiduitatem ex obiecto materiali, sed ex formali: obiectum autem formale semper est idem, scilicet personæ displicentia: ergo quantumvis obiecta materialia varientur, actus non variatur. Hinc inferitur, te obligatum non esse, in Confessione manifestare, quæ mala proximo desiderasti: sed satisfacere, si dicas, te odio proximum toties fuisse prolecutum, optando illi graue malum. Quia omnia illa mala sub eadem ratione sunt appetita, scilicet quia proximo mala erant. Sic Caietan. 2. 2. quæstion. 74. art. 6. ad ultim. Bonacin. *disputat. 3. de Charitate quæstion. 4. punct. ultim. num. 6. Torres 2. 2. disputation. 9. dub. 6. Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 11. punct. 2.*

Sunt quidem plures actus specie distincti. Quia vnum odium proximi ab alio differre potest tum ex fine, quo eum odio habes: tum ex malo, quod illi exoptas. Ex parte finis differre si proximum auerferis, quia est Dei imago ad beatitudinem creatus, qualiter decemones nos odio habent: aut quia aliquam tibi iniuriam intulit; utrumque enim odium est odium proximi, etiamsi primum ex odio Dei ortum habeat: ergo negari non potest, vnum actum ab alio differre. Ex parte vero mali, quod proximo optas, etiam specie differunt. Quis enim abneget, optare inimico, ob illius displicentiam, æternam damnationem, esse diuersum peccatum in Confessione aperiendum ab eo, cum solum amissionem status, & temporalis vitæ desideras, cum diuersæ rationis eum priuaret bonitate? Ita Suarius *disp. 6. de Charitate sect. 2. numero 2. Palao tomo 1. tractatu 6. disputation. 3. puncto 1. numero 7. Coninch. disputat. 29. dub. 3. numero 61.*

Hoc dicendum existimo. Nam voluntas inferendi proximo malum in vita, diuersum peccatum est à voluntate inferendi malum in fama, aut pecuniis: ergo etiam voluntates, quibus hæc mala appetuntur euenire, diuersæ sunt. Quia species odij inimicitie non sumitur præcisè ex displicentia, & auersione personæ, quam auerfaris: sed ex malo, quod illi desideras. Alias nullum odium proximi esset odium inimicitie, sed odium solum abominationis. Ex quo infero, in Confessione omnino esse explicanda, uti Suarius, & Coninch. expresse docent.

350
*Non sunt
odij in proximum plures actus specie distincti.*

351
Sunt plures.

352
Hoc dicendum omnino non reor.

DVBIVM LXI.

An liceat optare mortem proximo, vel de illa gaudere ob hereditatem acquirendam?

353
Questionis
statu.

Celebris quaestio est num ob bonum temporale, & aliquando inferioris ordinis liceat tibi aliquod graue malum proximo desiderare, & de illo gaudere, deque ipsius bono tristari, eo quod tibi impedimento est ad boni temporarii assecutionem? Exempli gratia. An possis desiderare mortem alicuius, ut illi in bonis succedas, vel ne in ei alimoniam praebendo, vel eum curando aegritantem graueris.

354
Minime
licet.

Minime id licet. Quia ex Charitate obligaris praeferre vitam proximi tuis diuitiis, temporarioque emolumento. At si ob acquirendam hereditatem illius mortem expectis, iam temporarium emolumentum vite proximi praefers: quod contra Charitatem esse, quis non videat? Sic Nauarr. *summ. cap. 15. num. 10.* asserens esse omnium.

355
Licet equi-
dem.

Licet equidem, si cum debito moderamine facias: non scilicet id appetens ex personae displicentia, sed ob aliquod temporale emolumentum inde sequutum. Quia huiusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono tibi inde sequuto: ergo non habet malitiam, quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit: cum tota species actus inefficacis ex fine defomat. Ita Sa. *verb. Charitas, numero octauo. Azorius parte prima, libro tertio, capite 12. quest. 2. Bonacina disp. 3. de Charit. questione quarta, puncto ultimo, numero septimo, asserens licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam haud possit eas nuptui tradere. Sancius in select. d. 2. numero 9.*

356
Auctoris
resolutio.

Existimo, proculdubio licere, optare tibi, vel proximo mortem ob vitandam molestiam laborum infirmitatum, mendicitatis, vitae poenalis à marito infligae, &c. dummodo desideres huiusmodi incommoda proximi, ut à Deo infligenda, non ab homine iniuste, vel à Diabolo. Profecto ingenue fateor, debere te bonis fortunae vitam proximi praefere quoad effectum, ac voluntatem efficacem, ac proinde teneri, bona fortunae exponere, ut vitam proximi conserues. Secus dixerim de efficaci affectu, ac simplici complacentia: quia respicit obiectum secundum se, & ex illius bonitate sumit speciem, non ex illius executione.

DVBIVM XL.

An inuidia solum sit mortale quando ex illa mouetur quis ad remouendum proximi bonum?

357
Solum est
mortale.

Solum est mortale, cum ita vehementer quis bono proximi inuidet, ut ex illo affectu moueatur ad iuste remouendum proximi bo-

num: secus si absque hoc periculo inuideat, quemadmodum auaritia, ac vana gloria, in qua non sunt peccata mortalia earum actus, nisi aliqua circumstantia mortali vestiuntur. Quia dolere de bono proximi, quatenus meum bonum imminuit, non est, absolute de bono, proximi dolere; sed dolere de illo, quatenus hunc causat effectum: & licet non causet media iniuriola actione, negari tamen non potest, esse cuique molestum, & iniucundum: tollit namque illi, qui ab omnibus (verbi gratia) doctus admodum habebatur, singularem ideo plausum acquirerebat, opinionem, & honorem illum, si doctor aliquis superueniat. Ergo talis tristitia, ac dolor, non videtur adeo inordinatus, ut piaculum lethale constituat. Sic Lorca 2. 2. *question. 36. in addition. articul. 1.*

Non solum est mortale, quando ex inuidia quis mouetur, ad remouendum proximi bonum, sed & quando dolet de bono alterius, quia diminutionis proprii boni est causa. Quia hoc vitium est charitati contrarium, cum de bono proximi tristetur, & de malo illius gaudet. Quod vero quis gaudet de malo illius, vel tristetur de bono, quia proprium suum bonum, non est sufficiens causa honestandi actum. Ita D. Thom. 2. 2. *question. 36. articul. 2. & 3. Valent. ibi. dub. 3. questio. 13. punct. 1. Coninch. d. 30. dub. 2. num. 20. Reginald. lib. 17. num. 129. Nauarr. summ. capit. 23. numer. 118. Bonacina d. 3. de Charit. questio. 4. punct. ultim. Parag. 2. num. 3. Suar. dub. 6. de charit. sect. 4. numer. 4. & alij.*

Ad hac communi quidem sententia non recedam, quam vberius expendo. Potest quis dolere de bono alterius, eo quod per se, & ratione sui proprium eius bonum diminiuit: bonum, in quam alterius potest esse occasio diminuendi proprium alicuius bonum, sine eo quod aliquam vim inferat, actionemque iniuriolam exerceat: v. gr. si existente illo in Ciuitate aliqua, in qua nimis doctus, ac peritus reputatur, accederent alij aequae docti, quorum aduentu illius pericia non tanti, ut antea aestimaretur, quia non est iam ita rara. Ex qua ratione bonum vnus per se potest alterius bonum diminuere. Si igitur doleat quis de bono alterius, quia huius diminutionis est causa, inuidus est, & peccat, ex genere suo mortaliter. Plura de Inuidia Volum. 1. vbi de de vitis Capitalibus disserui.

DVBIVM LXI.

An non solum qui proprie Chismaticus est, sed etiam qui quomodolibet Pontifici est inobediens, contrahat excommunicationis poenam?

Chisma in praesenti sumo pro scissione, vel diuisione ab Ecclesia, eiusque Capite. Dupliciter autem quis potest se ab Ecclesia separare. Primo, deferendo fidem, & tunc est haereticus, ac consequenter Chismaticus, secundum Ecclesiae deferendo unitatem, quam fideles

deles omnes inter se habent cū suo capite tum in Sacramentis, ac cultu diuino: tum in subiectione ad Pontificem, Ecclesie Caput. Duplicitate vero quis potest se à subiectione Pontificis, & Ecclesie unitate diuidere. Primò directè, secundò indirectè. Directè se diuidit, cum expresse, ac formaliter intendit, Pontificem non recognoscere vt. Superiorem; Indirectè autem, cum facto ipso ostendit, non eum recognoscere: quod videtur contingere existentibus in Anglia, & exhibentibus Regi obedientia signa, quibus testantur esse Christi Vicarium, in spiritualibus, quāvis interius id esse nullo modo credant; quia se iunctio ab unitate Ecclesie, eiusque obedientia in opere ipso externo consistit: ac proinde hi vere Schismatici sunt, esto non sint hæretici. Suarius de Censur. disputatione vigesima prima, sectione secunda, numero decimo tertio, Sanchez libro secundo, Decalogi capite vigesimo sexto, numero decimo quarto. Porro Schismaticis variæ ab Ecclesia pœnæ præscribuntur. Prima est priuatio potestatis Ordinis, & iurisdictionis. Secunda, excommunicatio ipso facto. Tertia inhabilitas ad Beneficia. Quarta, suspensio Ordinis à Schmatico scienter recepti. Quinta, collatio Beneficiorum à Schmatico facta irritanda. Sexta, suspicio hæresis vehemens. Septima, subiectio Ecclesiasticis Iudiciis pro pœna sustinenda. Circa huiusmodi pœnas dissidium est apud Doctores. In presenti igitur requiro, an non solum Schmaticus propriè, qualem esse asservi, sed etiam etiam qui quomodolibet Pontifici inobediens est, pœnam excommunicationis contrahat?

361 Contrahit quidem. Quia in Bulla Pontifex excommunicat Schmaticos, & qui se ab eius, & cuiusvis Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Cum ergo nihil in Pontificis decretis superfluum esse dicendum sit, efficitur, non solum recedentes à Pontificis obedientia tanquam à Vicario Christi Domini, sed quomodocumque recedentes intelligi debere. Nam recedentes pertinaciter à Pontificis obedientia tanquam à Vicario Christi, & Ecclesie capite, sub Schmaticorum nomine comprehensent. Vt quid ergo reliqua verba adiungunt? Sic Farinac. sibi contrarius question. 186. numer. 11. citans Toletum libro quarto, capite duodecimo, numero secundo. Attamen in editione Lugdunensi circa primum nihil dicitur: circa secundum contrarium docet.

362 Non contrahit nisi qui Schmaticus proprie est. Quia recessus à Sedis Apostolicæ obedientia proprie non stat cum illius recognitione. Ergo dum quis Pontificem vt Superiorem recognoscit, etiam si illi ob aliquam causam non obediatur, à Pontifice vt tali non videtur absolute recedere, ac proinde excommunicationem illam non contrahit. Ita Azorius parte prima, libro octauo, capite vigesimo, questione quinta, Palao tomo primo, tractatu sexto, de Charitate, disputatione quarta, puncto sexto, numero septimo, Suarius de Censur. disputatione vigesima prima, sectione secunda, numero duodecimo. Sanchez libro secundo, Decalogi capite trigesimo sexto, numero duodecimo. Bonacina disputatione tertia, questione quarta, de Charitate puncto vltimo, Paragrapho quinto, numero nono, & alij apud ipsos.

mo, Paragrapho quinto, numero nono, & alij apud ipsos.

Cum his opinor. Et quidem et si sub nomine Schismaticorum ij recedentes comprehensent, factè tamen expressi ad maiorem claritatem, specialemque timorem incutiendam. nonnulla Monuerim hac excommunicatione non ligari fautores, defensores, receptatores Schismaticorum. Quia in Bulla non exprimuntur, & exprimuntur hæreticorum fautores, in odiosis autem non est vltra proprietatem verborum extensio gerenda. Ligantur tamen excommunicatione non reſeruata ob cap. Li et, de elect. cap. 1. de Schismaticis, in 6. Sed clarius ob constitutionem Pauli IV. quæ incipit, Cum ex Apostolatus officio, vbi excommunicantur, alijque pœnis afficiuntur Schismaticorum fautores, vt Bonac. vbi sup. annotauit.

D V B I V M LXII.

Schismatici non denunciati priuanturne iurisdictionis potestate?

364 Dixi, primam Schmatici pœnam esse potestatis Ecclesiasticæ, Ordinis, & iurisdictionis priuationem. Verum licet Ordinis potestate in spirituali charactere consistente priuari non possit, priuari vero potest, ac de facto priuatur legitimo talis potestatis vſu. De potestate autem iurisdictionis fere omnes Doctores conueniunt, Schmaticum esse iure ipso priuatum.

Schmaticus non denunciatus post Concilium Constantiense minime priuatur iurisdictione. Quia cum solum denunciatus vitaremur, solum is carere debet iurisdictione nobis conueniente. Sic Bonacina disp. 3. quest. non sit. 4. de Charitate, puncto vltimo, Paragrapho sexto numero 8.

366 Etiam si occultus sit, vel non denunciatus, ipso facto quilibet Schmaticus iurisdictionis potestate priuatur. Quia occultus Schmaticus exterior ab unitate Ecclesie, ac subordinatiōe ad illius Caput se subtrahit: ergo indignus est, cui iurdictio ab Ecclesia concedatur. Ita D. Th. 2. 2. q. 36. a. 3. Turrec. l. 4. sum. p. 2. c. 20. Cast. l. 1. de iur. a. heret. punit. c. 23. & 24. Azor. p. 1. l. 8. c. 2. q. 9.

367 Hæc sententia mihi magis probatur. Quia textus in cap. 1. de Schmat. cap. Nonitani, cap. Audiuimus, cap. Didicimus, expresse notant, ipso iure hanc priuationem incurri. Dicunt enim, Ordinationes esse irritas, & conferentem nihil iuris habere, ac potestatis; & ex alia parte hanc priuationem ad omnes Schmaticos extendi probat textus in cap. Didicimus, & omnes omnino hæreticos, & Schmaticos nihil habere iuris, ac potestatis. Verum tamen vt huiusmodi priuatio iurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem declaratoria sententia criminis, vt tradit Suarius disputatione 12. sectione 2. numero 2.

DVBIUM LXIII.

Schismaticis penitentibus, & Ecclesiae reconciliatis tolliturne inhabilitas quam ad Ecclesiastica Beneficia habenda contra-

xerant?

368
Status qua-
sionis.

Tertiam Schismaticorum poenam esse vidimus inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica in posterum habenda, cap. Quia diligentia, de elect. ubi Schismatico in Episcopum electo dispensatione confirmare permittitur. Non igitur valida erit electio ante dispensationem, uti Glof. & omnes. Dubium autem est, num penitentibus Schismaticis, & Ecclesiae reconciliatis haec inhabilitas tollatur?

369
Tollitur in-
habilitas
haec.

Tollitur profecto. Quia huiusmodi inhabilitas ex Schismate procedit: ergo illo sublato, cessat. Neque ob stare videtur Cap. Quia diligentia citatum, nam electio illius Schismatici in Episcopum forte fuit, durante Schismate, ideoque indigit dispensatione: qua non indigeret, si sublato Schismate, & Ecclesiae reconciliato, electio facta esset. Sic Decianus tractatu crimin. libro quinto, capite 54. numero 15. & 16. Conrad. Brunus tractat. de heretic. libr. 3. cap. 7. Borlat. consil. 14. numer. 34. Quintil. Mandos. in addit. ad Repertor. Inquisit. v. Abjuratio, tit. A. Farinac. plures referens, qu. 189. & 193. num. 66.

370
Nō tollitur.

Non tollitur. Quia cap. Quia diligentia, id videtur expresse praescribere. Glossa enim ibi manifeste asserit abiurato Schismate in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indignis dispensatione: ergo signum est, inhabilem remansisse. Ita Azor. parte prima, libro octavo capite vigesimo, quaestione octava, asserens, communi sensu hoc esse receptum. Sanchez libro secundo, Decalogi capite trigesimo sexto, numero decimo octavo. Bonacina disputatione tertia, quaestione quarta, de Charitate parte ultima, Paragrapho quinto, numero decimo. Pegna Direct. parte secunda, quaestione quadragesima octava, comm. 73. Suarez de Censur. disp. 43. section. 2. numer. 7. Farinac. pluribus relatis, quaestione 184. numero trigesimo sexto.

371
Hoc proba-
bilium, &
securius esse
vetor.

Probabilius, & securius censeo, Schismaticum Ecclesiae reconciliatum adhuc inhabilem esse ad Ecclesiastica Beneficia, nisi per Pontificem, aut vices ipsius habentem fuerit dispensatus. Quia eius est solvere, cuius ligare fuit. Habet tamen Episcopus ex Tridentin. sess. 24. cap. 6. concedente casus occultos, potestatem ad dispensandum in quacumque inhabilitate ad Beneficia ex delicto occulto proveniente. Quare si delictum Schismatici occultum sit, poterit ab Episcopo Schismaticus ad unitatem Ecclesiae rediens habilis reddi. Si tamen Schisma publicum sit, asserit Abbas ad cap. 2. de Schismaticis. numer. 7. Decius ad cap. At si Clerici numero 124. & alij, posse Episcopum dispensare ad Beneficia omnia, praeter Episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter Ordinem à Schismaticis non receperint. Addo, esse pro-

babilem occultum Schismaticum, & Ecclesiae reconciliatum dispensatione non indigere. Quia poena inhabilitatis non cuilibet Schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto, qualis erat ille Episcopus relatus in Cap. Quia diligentia. Quare occultus, & maxime emendatus, & conversus hanc poenam nullo modo contrahit, ut multis probat poenam de haeretico. Garcia part. 11. de Benefic. capite 10. numero 81. & specialiter de Schismatico numero 162.



CAPVT XIX:

Circa Bellum, ac Duellum, quatenus sunt Charitati contraria.

DVBIUM LXIV.

Potestne dari seclusa ignorantia iustus bellandi ex utraque parte titulus?



Dari potest. Quia saepe oppugnans, & oppugnatus non peccant bella gerendo eo, quod uterque probabiliter credit, sibi Regnum pertinere. Ergo ex parte utriusque iustus est titulus. An non oppugnans Civitatem, interficere potest innocentes, si alia via non potest illam subiugare: innocentesque possunt se ab oppugnatione defendere? Quis dubitet? Datur igitur titulus bellandi iustus ex utraque parte, iustumque bellum etiam nulla ignorantia intercedente. Sic nonnulli bonae notae Moderni.

Dari non potest per se, & seclusa ignorantia iustus titulus belli ex utraque parte circa eandem rem. Quia nulla virtus potest habere actus sibi contrarios, alias secum pugnaret, & bonum bono contradiceret. Ergo iustitia, quae tibi titulum iustum possidendi praebet, verbi gratia, Civitatem, & ibi existentes oppugnandi, non potest praebere iustum titulum oppugnatibus tibi contradicendi.

Idem affirmo. Concedo enim, saepe oppugnantem, & oppugnatum non peccare, quia ex ignorantia invincibili iuris procedunt. Hoc tamen non probat ex utraque parte iustum dari titulum; sed ex una parte dari, & ex alia praesumi: rationeque illius praesumptionis potest ille actus ad iustitiam pertinere.

DVBIUM